



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

§. 3tius. Orationes ad Angelos ac sanctos Patronos. Ad Angelum  
Custodem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

§. 3<sup>ti</sup>ns.

*Orationes ad Angelos ac sanctos Patronos.  
Ad Angelum Custodem.*

**O**blecro te Angelice Spiritus Custos ac Tutor meus fidelis, ut me custodiæ ac protectiōi tuæ ex divina bonitate commissum in via pacis, prosperitatis & salutis hodie semperque dirigas, atque ab omni spiritu malo, graviue tentatione defendas.

Nōsti mi dulcissime Custos, quod conditus sim ad Dei ipsius Angelorum & hominum creatoris imaginem, quodque mihi quā homini ex corde faveris, ut redimerer per Deum hominem, & hic meus Redemptor non tantum, sed & benedicta ejus quā hominis mater exaltarentur super omnes Angelorum choros. Dum rebelles Angeli humanæ se naturæ subjicere nolentes præcipitati sunt in tartara. Jam piæterea tu mihi ineffabili Dei benignitate ac providentia in curatorem & tutorem peculiarem traditus es. Et quorsum hæc omnia? nisi ut non perderet hostis invidia, quem tanta circumdat Dei bonditas & clementia. Assiste ergo tu mihi fideli custodiâ, ne frustrentur in me tanta divina bonitatis insignia. Carissime Angele precor te per amorem clementissimi Dei, à quo cæteris Angelis reprobis de fastigio felicitatis suæ per superbiam corridentibus, tu unâ cum bonis in gratia & gloria servatus es, precor inquam, ut

ego te favente & curante sentiam auxilium illud  
Dei per gratiam congruam, quo servar à lapsu  
& periculis, in gratia verò sanctificante, bonis  
que operibus, & Dei mei cultu ac amore con-  
stans permaneam, donec ad visionem ejus in  
cælesti patria perveniam, unâque tecum, & cum  
Sanctis omnibus eum laudem & amorem per om-  
nia sæcula. Amen.

Doleo, quod præsentiam tuam toties inho-  
norarim, pro tot beneficiis ingratus extiterim.  
Sed tu nihilominus supplicasti pro me apud  
Deum, ut tanquam arborem infructuosam nec-  
dum eradicari & in ignem mitti juberet. Et  
me Deus ad tuas preces ex infinita bonitate sua  
conservavit hactenus. Tu porrò perge me tue-  
tri, & ad viam salutis ducere. Concilia mihi  
Archangelum Michaelem, quando me post  
mortem duces ad judicium.

Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi  
commissum pietate supernâ hodie illumina, cu-  
stodi, rege, guberná maximè in articulo mor-  
tis. Amen.

Vos sancti Throni, Dominationes, Potestates,  
vos millions Angelorum, sancti Archangeli  
Michael, Gabriel, Raphael imploro, ut mihi for-  
titudinem, gratiam, medicinam contra omnes  
hostes & morbos animæ meæ impetratis in vita  
& in morte. Cogitate, quod gaudium acci-  
dentale per totam æternitatem vobis augendum  
sit, si ego quoque indignissimus peccator au-  
geam numerum Electorum. Ego vestras præ-  
rogativas, dona à Deo vobis data non nosco. Gra-

tulor tamen, quod sub initium creationis vestræ vos Deo subjeceritis, & antiquum serpente, qui volebat similis esse altissimo, ex celo exturbaveritis. Scitis, quomodo ille ex rabi & invidia erga humanum genus primum patrem nostrum deceperit, & per hoc totum humanum genus perdiderit. Scitis, quod vestra & nostra Regina contriverit caput ejus, & Dominus virtutum ac Rex gloriæ cælum pro hominibus clausum reserat. Intercedite obsecro, ut & ego sim inter illos, qui loco reprobatorum Angelorum occupabunt cælestes sedes. Pro vestra intercessione agam SS. Trinitati, Redemptori meo, & vobis gratias in æternum, Amen.

Orationes ad Sanctos Josephum, Joannem Baptistam, Ignatium aliosque V.C. seq. §. 6, ubi agitur de præparatione ad mortem,

*§. Atus.*

*De motivis & modis misericordiam animabus in purgatorio detentis exhibendi.*

PRænotandum, quod omnia opera bona vel etiam indifferentia debitâ intentione convestita in statu gratiæ facta tres diversas habeant proprietates. Scilicet quod sint meritoria, interpretoria, satisfactoria. Nolo me hic immisce-  
re Theologicis, de his proprietatibus, questio-  
nibus. Sed me tantum & Lectorem pium ex-  
stimulare volo ad intentionem sœpè sœpiùs per  
diem